



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episc. Et Capitvlo Parmen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Epistolarum Innocentij III.

de consilio fratrum nostrorum statuimus, ut nisi infra quindecim dies post receptionem præsentium mandatum quod per alias eis literas fecimus curaverint adimplere, Ecclesia Placentina Ecclesia Ravennati subjaceat, & vos venerabili fratri nostro Archiepiscopo Ravennati respondeatis, & ipsius non præsumatis mandatis & admonitionibus contraire, donec nobis & eidem Cardinali plenariè fuerit satisfactum, tam Placentia quam Parmen. Ecclesiam episcopali dignitate (dante Domino) privaturi, si nec sic nobis fuerit plenariè satisfactum. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus eidem Archiepiscopo respondere curetis. Alioquin noveritis vos officio beneficioque suspensos. Mandavimus autem eidem Archiepiscopo, ut vos ad obediendum sibi per censuram ecclesiasticam, & aliter, si opus fuerit, appellatione remota compellat. Nos enim sententiam quam in vos, si contumaces fueritis, tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Carissima quoque in Christo filiae nostra C. Imperatrici, & tam Francorum quam Anglorum Regi, & nobilibus viris T. Comiti & Baronibus Campaniae, Duci Burgundiae, ac Comiti Maurianen. firmiter præciendo mandamus, ut bona mercatorum Placentinorum & Parmensium quæ deinceps fuerint in terra eorum inventa, tamdiu apud se sub custodia fidei detineant, vel faciant in tuto deponi, donec nobis & eidem Cardinali fuerit plenariè satisfactum, & ipsi quid de his facere debeant, mandatum à nobis receperint speciale. Consules etiam Placentinos, nisi nobis juxta mandatum dilecti filii G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconi Card. apostolicae sedis Legati curaverint satisfacere infra terminum quem ipse eis ad satisfacendum præfixerit, se noverint excommunicationis vinculo innodatos. Mandamus autem rectoribus Lombardiae ut Consules ipsos & Potestatem Parmen. ad sua consilia non admittant, immo eos sicut excommunicatos arctius studeant evitare. Scribimus quoque universis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Pralatis in Lombardia constitutis, ut si Consules Placentini vel Potestas Parmen. in civitates vel quascunque terras Lombardiae forte devenerint,

eis præsentibus in civitatibus vel terris ipsis divina prohibeant officia celebrari. Omnes autem literas, quæ pro eorum contumacia edomanda de mandato nostro super hoc negocio sunt confecta, eidem Card. transmittimus, eis, ad quos diriguntur, nisi infra quindecim dies post susceptionem præsentium nobis juxta formam literarum quas idem Cardinalis ad vos primò detulit, ad plenum satisfactum fuerit, assignandas: ei dantes firmiter in mandatis, ut te frater Episcope & Clericos Placen. ad obediendum memorato Archiepiscopo, cui vos ex tunc decernimus usque ad dignam satisfactionem esse subiectos, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat. Quod si forte Cardinalis memoratus in terra non fuerit, venerabilibus fratribus nostris Mediolan. Archiepiscopo & Episcopo Cuman. executionem hujus apostolici mandati committimus; ut ambo, vel alter eorum, si his exequendis *nequierint interesse, sicut præmissum est, in ipsius executione apostolica fretus auctoritate procedat. Illud etiam relinqu nolumus incorrectum, quod interdictum in civitate & dioecesi positum non plenè (sicut dicitur) observatur, cum auctoritate nostra prolatum fuerit, & à nobis postmodum confirmatum. Vnde vobis in virtute obedientiæ districte præciendo mandamus, ut vos illud inviolabiliter observeris, & facias per vestram dioecesim inconcusse servari; eos qui contravenire præsumperint, officio beneficioque suspensos, ad sedem apostolicam tu frater Episcope transmissurus. Datum Romæ apud sanctum Petrum xi. Kalend. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

* ambō

Scriptum est predictis omnibus super hoc; juxta quod in eisdem literis continetur.

EPISC. ET CAPITVLO PARMEN.

Qui monitis &c. ut supra in eundem Epif. 12. ferè modum usque ad verbum illud De academie compellerent. Alioquin Burgum sancti Domini eximeretur à jurisdictione Parvensis Ecclesiae, quia ipsi quod mandatur &c. usque ad verbum illud de consilio fratrum nostrorum Burgum S. Domini ab Eccle. Parmen. usq; ad satisfactionem congruam eximus potestate, tam vestram quam Placen. Ecclesiæ &c. ut supra usque ad verbum illud satisfactum. Scribi-

Romani Pontificis Lib. I.

71

mus autem carissimæ in Christo filia C. Imperatrici &c. usque ad verbum illud spe. ciale. Omnes autem literas qua pro eo- rum contumacia &c. usque ad verbum il- lud firmiter in mandatis ut Clericos in Burgo saneti Domini constitutos à ju- go Ecclesiæ Parmen. absolvat, & publicet tantum Ecclesiæ Romanæ teneri. Quod si forte Card. memoratus in terra non &c. usque ad verbum illud procedat. Ideoque per apostolica vobis scripta mandamus, & districte præcipimus, quatenus cum idem Burgum sancti Domini à vestra fuerit jurisdictione exemptum, nullam in Ecclesiæ vel Clericos ejus exercere præsumatis de cetero potestatem; sub pena excommunicationis vobis nihil minus inhibentes ne Huberto Palavici- ni filio aliquid de proventibus Parmen. Ecclesiæ impendatis, nec eum, vel suos, vel aliquos pro eo patiamini de ipsis aliquam usurpare vel qualcumque accipere portionem, contra quod haec tenus egisse dicimini fraudulenter. Illud etiam impunitum relinquare nec possumus, nec debemus, quod interdictum in civitate vestra & diocesi positum non plenè, sicut dicitur, observatur, præsertim cum auctoritate nostra prolatum fuerit &c. ut sup. usque in finem. Datum ut supra.

RAVENNATI ARCHIEPISCOP.

Epif. 125.
Decadentie.

C Vm apud sedem apostolicam po- restatis resideat plenitudo, non est admiratione duendum, si pensatis sub- ditorum meritis, nunc exaltat humiles, nunc deprimit contumaces. Sanè cum ipsa mater sit omnium generalis, ut in sublimatione humilium ad obediendum provocet contumaces, & in contumaciam depressione tam superbis quam hu- milibus audaciam subtrahat contemnen- di, & mansuetos extollit, & deponit supercilium superborum. Ideoque Placen- tinorum contumaciam attendentes, præ- sentium auctoritate statuimus de fra- trum nostrorum consilio & voluntate communi, ut Ecclesia Placentina Eccle- sia Ravennati subjaceat, & venerabilis frater noster Episcopus & Clerus Placen- tin. tibi obedientiam & honorem exhibeant, donec nobis & dilecto filio P. sanctæ Mariæ in via lata Diacono Car- dinali juxta tenorem literarum, quas eis direximus Placentiam, satisfactionem curaverint plenariam exhibere; auctori- tate tibi apostolica indulgentes, ut eos

ad obediendum tibi & respondendum (sicut superius est expressum) compel- lendi liberam habeas facultatem. Nos enim sententiam, quam in eos propter hoc tuleris, ratam habebimus, & facie- mus auctore Domino inviolabiliter ob- servari. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

O VETEN. EPISCOPO.

C Vm à nobis petitur &c. usque ad verbum illud effectum. Significasti quidem nobis, quod cum in Ecclesia sancti Servandi institutio Abbatis & mo- nachorum ad te de jure pertineat, mo- nastryum ipsum conversum est in cano- nicam secularem, & cuidam Clerico in beneficium assignatum. quod tu, quan- tum in te fuerat, emendare intendens, monasterium ipsum in priorem religio- nis statum desideras revocare. Eapro- pter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, ut Ecclesiam ipsam ad debitum religionis statum reducas, instituendi ibidem Abbatem & mona- chos, sicut ad te pertinet, liberam ti- bi concedimus auctoritate apostolica fa- cultatem. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum vi. Non. Maij.

Epif. 124.
Vt ex Collegio
Canonicorum
iterum fiat mo-
nastryum.

F R A T R I R A I N E R I O.

C Vm venerabilis frater noster Ove- ten. Episcopus interdictum, quod in regnum Legionen. apostolicae sedis auctoritate prolatum fuerat, & ipse ser- vaverit, & in sua dioecesi fecerit obser- vari, & propter hoc de regno Legionen. exilium coactus fuerit sustinere, justum non esset aliquatenus vel honestum, si de receptione ipsius in absolutione Re- gis & regni à te vel nullatenus vel nimis tepide tractaretur. Ideoque discretioni tuae per apost. scripta mandamus quatenus si juxta formam, quam tibi dedi- mus, Regem Legionen. duxeris absolu- vendum, ex debito præstite cautionis il- lii præcipias, antequam interdictum re- gni relaxes, ut non impedit quominus dietus Episcopus suæ restituantur dioecesi, & tam de damnis illatis, quam de fructi- bus inde perceptis, recompensationem ei exhibeat competentem, & ei faciat abla- ta cum integritate restitui. Noveris au- tem nos eidem Episcopo de speciali gra- tia concessisse, ut cum regni Legionen. relaxaveris interdictum, latam in suam dioecesim interdicti sententiam & hacte-

Epif. 125.
Vt curet Ovo-
tentem Episco-
pum à Rege
Legionen. eje-
ctum restitu.